

tantum ab illa omnipotens deus exigit, ut terribiliter apostolus testetur et dicat: *Pacem*²³¹ *sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit dominum.* Et iterum: *Nescitis*²³², *quia templum dei estis, et spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum dei violaverit, disperdet illum deus. Templum enim dei sanctum est, quod estis vos.* Et iterum: *Nescitis*²³³, *quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.* Et iterum: *Et*²³⁴ *non estis vestri: Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate dominum in corpore vestro.* Istud est templum dei et domus dei vivi, de qua scriptum est: *Domum*²³⁵ *tuam decet sanctitudo, domine, in longitudinem dierum.* De qua et beatus patriarcha Iacob, qui cognominatus est Israel, in mystica laude ait: *Non*²³⁶ *est hic aliud, nisi domus dei et porta caeli.* Quia videlicet et nunc habet habitatorem dominum et post praesentem vitam de mundo mittit ad caelum.

CAPUT III. Propter hanc sanctimoniam et munditiam a contagiis diabolicis ecclesia a Christo dilecta et eius passione comparata et lavacro baptismi purgata est et expiata, testante apostolo ac dicente: *Christus*²³⁷ *dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquae in verbo^g, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Quicumque igitur huius matris filius, huius corporis membrum, huius templi portio veraciter esse desiderat, audiat et obaudiat fideliter eidem apostolo admonenti atque dicenti: *Vos*²³⁸ *enim estis templum dei vivi, sicut dicit dominus, et inhabitabo et inambulabo in illis, et ero eis deus, et ipsi erunt mihi populus.* Et post paululum: *Has*²³⁹ *igitur habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei.* De talibus enim membris et lapidibus vivis constituitur illa *civitas*²⁴⁰ *regis magni, nova nupta et sponsa agni, de qua in Apoca-*

g) folgt vitae Si.

231) Hebr. 12,14.

232) 1. Cor. 3,16–17.

233) 1. Cor. 6,15.

234) 1. Cor. 6,19–20.

235) Ps. 92,5.

236) Gen. 28,17.

237) Eph. 5,25–27.

238) 2. Cor. 6,16.

239) 2. Cor. 7,1.

240) Vgl. Ps. 47,3 und Matth. 5,35.